DE
PSALMI SEXAGESIMI OCTAVI
INDOLE ATQUE ORIGINE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SS. THEOLOGIAE LICENTIATI GRADUM

RITE CAPESSENDUM

VENIAMQUE LEGENDI IMPETRANDAM

EX AUCTORITATE SUMME VENERANDI THEOLOGORUM
MARBURGENSIUM ORDINIS

UNA CUM THESIBUS ADJECTIS

DIE XXVI MENS. OCTOBRIS ANNO MDCCCLXXVIII
HORA XI. PUBLICE DEFENDET

CAROLUS HENRICUS CORNILL
PHILOSOPHIAE DOCTOR, SEMINARII PHILIPPINI REPETENS.

MARBURGI CHATTORUM
TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI
MDCCCLXXVIII.

VIRO EGREGIO

JACOBO AUERBACH

FRANCOFURTENSI, PHILOSOPHIAE DOCTORI

PRIMO SUO HEBRAICAE LINGUAE PRAECEPTORI

OPTIME DE SE MERITO

HASCE HEBRAICORUM STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO CONSECRAT

CAROLUS HENRICUS CORNILL.

Haudquaquam nescius sum equidem periculosae plenum opus aleae me esse subiturum cum in animo mihi sit de psalmi sexagesimi octavi indole atque origine componere commentariolum. *Γλαῦκας Ἀθήναζε!* dixerit forte quis: num eo usque tu procedis fiduciae ut novum aliquid proferre te posse opineris cum tam multi tam multa iam de eadem re scripserint? Quid tibi restat, adulescentule audax, nisi denuo repetere cramben toties iam a viris doctis decoctam? Haec omnia ipse mihi obieci et non sine magna cunctatione ad opus me accinxi: tamen aggredi conatus sum haud pauca esse ratus quae ad obrussam exigere conducat. Et quis tandem psalmus dignior est qui iterum iterumque perlustretur perspectetur pertractetur quam psalmus sexagesimus octavus qui omnium fere est grandissimus idemque obscurissimus? Itaque ignoscatis mihi quaeso cum, sincera tam praeclari tam divini carminis admiratione inductus, pro viribus ad illustrandum hunc psalmum aliquantulum conferre cupiam atque velim. Et eam quidem mihi rationem proposui ut ante omnia indolem atque originem psalmi perquiram quam diligentissime. Cum vero fieri hoc nequeat priusquam recte interpretati simus psalmum praemittenda est brevis adumbratio exegetica. Brevis haec adumbratio commentarius esse non vult: ea tantum paucis tractabo quae ad investigandam totius psalmi sententiam sunt momento aut quibus

de meo aliquid addere possum: ea vero omittam de quibus consentiunt interpretes aut quae suppeditat commentarius quilibet. Itaque ad ipsam quam mihi proposui rem iam transeam.

---

v. 2. Hic versus Mosis resonat verba Num. 10, 35. Hupfeldius autumat fugisse hoc Rabbinos neque correxit Riehmius in altera editione: at vero Raschi dicit: מפני אלהים׳ מפני הארון בימי משה ובנוחה יאמר שובה יי וגו׳, et diserte Aben Esra: וזה דומה לדברי משה קומה יי.

v. 3. כהנדף עשן תנדף] Recte interpretati sunt Saadja: וכאנרפאע אלדח̄אן כד̄לך תרפעהם et Raschi: כהתנדף כאשר יתנדף העשן כן תנדפם. Est enim הנדף infinitivus Niphal irregulari modo formatus ad efficiendum sonitum τῷ תנדף similem quod iam Aben Esra docet כהנדוף בא תנדוף. Hitzigius כְּהִנָּדֵף legendum putat: non recte, opinor. Nam vix persuadere nobis possumus Masorethas cum prae manibus fuerit consonantium punctatio regularis unquam constituisse formam tantopere singularem tamque insolitam nisi firmissima nixos eademque vetustissima traditione. Ewaldius vertit: »gleich wie rauch verweht, verweht«; sed עשן semper est generis masculini (Jos. 8, 20. 21. Jes. 14, 31. 34, 10. ψ 18, 9. II Sam. 22, 9. Hi. 41, 12) et נדף solum transitivum est verbum (ψ 1, 4. Hi. 32, 13). Forma plenior תנדף a poetico sermone non est aliena, cfr. Jes. 37, 30. 58, 3. ψ 4, 7. 10, 12. 34, 14. 61, 8. 78, 7. 105, 45. 140, 2. 5. Hostes esse quos dissipat deus ex totius loci contextu patet neque opus est pronomine suffixo. Parallelos commentarii suppeditant locos Hos. 4, 12. ψ 40, 4. 52, 8. 78, 28.

v. 5. ביה שמו] Est quod dicunt »beth essentiae«: consulas quaeso Gesenium §, 154, 3, a et Ewaldium §§. 217, 3, 1) b; 299 b.

v. 6. ודין אלמנות] Aptissime vertas: »patronus viduarum« דין enim haud raro est »patrocinari alicui, causam alicuius agere« itaque optime Raschi: דין שעשה משפט. cfr. Gen. 30, 6. Deut. 32, 36. Jer. 5, 28. 22, 16. 30, 13. ψ 54, 3. 135, 14. Prov. 31, 9 (Jes. 10, 2. ψ 140, 13. Prov. 29, 7).

במעון קדשו] מעון קדש יי ubique sanctuarium dei est caeleste non terrestre Deut. 26, 15. Jer. 25, 30. Zakh. 2, 17. II Chron. 30, 27.

v. 7. בכושרות] ἅπαξ λεγόμενον de quo enucleando consentiunt recentiores interpretes qui mihi sunt noti omnes uno excepto Hitzigio; vertendum est: »in prosperitate«. Hitzigius sua vocabuli interpretatione usus textum mutavit: sed neque quisquam secutus est virum ingeniosum neque quemquam secuturum esse puto.

צחיחה] »terra arida et sicca«, »deserta«. Mira vocabuli nostri versio est quam protulerunt LXX interpretes et Peschito: ἐν τάφοις בית קבורא et facere non possum quin commentariolum meum exornem elegantissima huius rei explanatione quam mecum communicavit praeceptor venerandissimus Ernestus Ranke. Is enim in memoriam mihi revocavit quod narrant Marcus 5, 1—20 et Lucas 8, 26—39. Ibi Jesus spiritus immundos expellit ex miserrimo illo Gadareno qui domicilium habebat in sepulcris Mc. 5, 3 (Peschito בית קבורא perinde atque loco nostro): e Luc. 8, 29 εἰς τὰς ἐρήμους efficitur, in desertis fuisse haec sepulcra et notissimum est in montibus et locis ab urbibus pagisque remotioribus sepulcra excavasse veteres Hebraeos. Itaque LXX interpretes quos secutus est Peschito (et certissime comprobari potest Peschito non ex LXX interpretum versione confectum esse sed e textu Hebraico ea vero ratione ut obscurioribus locis atque difficilioribus consuluerit LXX interpretes eosque sit secutus) non tam perperam verte-

runt quam usi sunt paraphrasi et vix putaveris veterem quandam traditionem etymologicam inesse versioni ἐν τάφοις.

v. 10. נחלתך] Hanc vocem omnes fere interpretes priori attribuunt versus colo non sine gravi colorum aequabilitatis detrimento, et totus noster psalmus artem adhibet summam in distribuendis aequabiliter vocabulis inter singula versuum cola. Itaque cur a textu recedamus Masorethico equidem non video neque est quod offendamus in τῷ ונלאה: nam epexegeticum illud quod dicitur ו certissimis exemplis fulcivit Gesenius §. 155, 1, a ex quibus in medium produco locum II Sam. 13, 20: ותשב תמר ושממה בית אבשלום אחיה »et mansit Thamar contabescens in domo Absalomi fratris sui«, ubi eadem prorsus atque nostro loco ratione per ו substantivo suo annectitur participium. Et vim quandam atque gravitatem inesse epexegetico illo ו collegeris ex loco Jud. 7, 22: וישם יי את חרב איש ברעהו ובכל המחנה.

v. 11. חיתך] vertendum est »tribus tua« et iam Raschi et Aben Esra contulerunt locos II Sam. 23, 11. 13. Simillimum est חיי in Davidis verbis I Sam. 18, 18: מי אנכי ומי חיי »ego quis sum et qui sunt propinqui mei?« cfr. Ewald Gesch. d. volk. Isr. III, 103 ann. 3 ed. III.

תכין בטובתך לעני] Varie haec verba interpretati sunt viri docti. Simplicissima videtur versis »stabilis benignitate tua miserum«, quam praebent Peschito תקפת בטיבותך לבישא et Saadja תצלח בגודך ללצעיף: tamen assentire non possumus, cum alienum sit ab Hebraismo puriore accusativo substituere praepositionem ל. Itaque supplendus est accusativus eius rei quae stabilitur, nam absolute dici τὸ הכין recte negavit Hitzigius; ex toto vero contextu patet objectum τοῦ תכין esse terram

ubi habitat tribus dei. בה »ibi« nude positum terram sacram significat quam deus populo suo spoponderat — hunc *τοῦ* בה usum exemplis probant commentarii — et ea est quam stabilit atque praeparat dominus populo suo humili atque misero, quam tutam firmamque ei sedem assignat.

v. 12. אדני יתן אמר] Vocabulum אמר poeticae tantum dictionis est proprium et »sermonem« significat: ipsi vocabulo nihil inest quod certum quoddam sermonis genus indicet. Omisso nostro loco quinquies nobis *τὸ* אמר occurrit: ψ 19, 3 sermo est quo muta natura deum celebrat et potestatem eius homini annunciat; ψ 77, 9 sermo est quo deus populum suum erigit recreat solatur; Hab. 3, 9 videtur — obscurissimo huic Habacuci loco lucem afferre nostrum non est — sermo esse quo deus iurat se virgis caesurum esse hostes suos; ψ 19, 4 אמר in parallelismo poetico respondet *τῷ* דברים, et Hi. 22, 28 אמר perinde atque דבר »rem« »negotium« »eine Sache« significat. Quae cum ita sint totius loci sententiam consulamus oportet ut certiores fiamus quomodo versu nostro intellegendum sit *τὸ* אמר, itaque alterum iam inspiciamus versus hemistichium.

המבשרות] feminae sunt quae victoriam pronunciant: et viri docti haud pauci censuerunt אמר esse carmen quod feminae istae canunt, »Siegsgesang«; nam ipsum deum esse qui populo suo dat victoriam et feminis eorum carmen *ἐπινίκιον*. Haec interpretatio aptissima est et nihil habeo quod opponam; tamen nescio an altera sit praeferenda. Apud Arabes radix אמר non tam »dicere« est quam »iubere« et Hebraeis quoque haud ignota est haec *τοῦ* אמר vis: unum exemplum afferam a sermone pedestri petitum, locum dico II Sam. 1, 18 et libri Samuelis sine dubio inter vetustiora canonis nostri scripta sunt numerandi. Itaque nihil iam obstare videtur quominus *τῷ* אֹמֶר eandem vindicemus sententiam et vertamus »iussum« »edictum«. Testis

nobis esse potest locus Hi. 20, 29 ubi legimus וְנַחֲלַת אִמְרוֹ מֵאֵל »sors quam deus ei« (sc. homini scelesto et nefario) »decernit atque adiudicat«. Haec est sententia *τοῦ* אֵמֶר neque quemquam infitiaturum esse puto hanc sententiam paene idem valere atque »edictum«: inter אֵמֶר vero et אֹמֶר discrimen vix est statuendum. אדני יתן אמר »Dominus dat iussum«. Haud male interpretatus est Reussius: »Es giebt der Herr das Losungswort« — nam ex toto contextu efficitur iussum quem deus dat iussum esse proficiscendi in bellum et aggrediendi hostes, itaque id ipsum est נתן אמר quod Latinorum historici dicunt »signum dare« et totus versus sic videtur vertendus esse: »Dominus dat signum; magnum est agmen feminarum quae victoriam pronunciant«. Egregia sententia et quae optime ad locum nostrum quadret! Deus יהוה צבאות dominus exercituum Israelis dat signum: et statim populus cui signum dederat deus victoriam reportat magnumque feminarum agmen carmen canunt *ἐπινίκιον*.

v. 14 et 15. Obscurissimi sunt versus et adstipulor Kamphausenio qui: »Die Vss. 14. 15« inquit, »sind, vorausgesetzt auch, dass der Text nicht verderbt sei, so abgerissen und dunkel, dass eine sichere Erklärung wol nur durch ein glückliches Errathen der versteckten Anspielungen des Dichters möglich werden könnte«. Ad restim res redit: tamen de interpretando versu quartodecimo haud desperemus. Et primum quidem investigandum est, quid sibi velit

יונה] Columbamne dicit poeta? An metaphora quaedam est poetica? Vix a vero me aberraturum esse putaverim cum censeam metaphorice haec verba esse intellecturum quicunque primum ea legerit. Cuius rei metaphoram columbam constituit poeta? יונתי sponsam sponsus nominat blandiendi gratia (Cant. 2, 14. 5, 2. 6, 9) et simili modo Israel quae deo est sponsa turtur dei appellatur ψ 74, 19: itaque haud pauci credunt interpretes, feminas Israelitarum esse quas intellegi velit

poeta, quod ab Hebraeorum et loquendi et sentiendi ratione alienum non est. Magis tamen alia mihi arridet explicatio. Ipsa enim natura fert, ut columba timiditatis sit exemplum: in rupibus remotis in cautibus inviis nidum ponit Jer. 48, 28. Cant. 2, 14; avolat quam celerrime ut cava se turri abdat Jes. 60, 8. Notissima est *τρήρων πέλεια* cuius haud ita raro mentionem faciunt Graecorum poetae, et Hebraeis quoque haec metaphora est usitata — quid quod legimus celeberrimo illo loco ψ 55, 7. 8: מי יתן לי אבר כיונה אעופה ואשכנה: הנה ארחיק נדד אלין במדבר סלה! Itaque videamus an hac via propius accedamus ad versus sententiam. Sed priusquam sententiam indagemus, enucleanda sunt verba.

אם תשכבון] Hoc loco usum statuo *τοῦ* אם rarum illum quidem qui vero non prorsus careat analogia. Est enim interrogandi genus quod rhetoricum dicunt grammatici perinde atque Latini utuntur *τῷ* num: »num cubabitis?« cf. Ges. §. 153, 2 et Ew. §. 324, 2, a, c. Duo afferram exempla: I Reg. 1, 27 אם מאת אדני המלך נהיה הדבר הזה »sollte wohl von Seiten meines Herrn des Königs dies geschehen sein?« et Hi. 6, 12 אם כח אבנים כחי »ist denn Kraft von Steinen meine Kraft?« Miram illius אם analogiam sermo nobis suppeditat vernaculus; nobis quoque ad hanc efficiendam sententiam usitatum est »wenn«, addito plerumque »aber« et omissa per aposiopesin quam vocant apodosi, ut: »Wenn du dir aber das entgehen lässt!« id est: »Willst du dir wohl das entgehen lassen?« vel »Du wirst dir doch das nicht entgehen lassen?« Itaque versus de quo agimus ad verbum fere reddi potest Germanice: »Wenn ihr aber zwischen den Hürden liegen wollt, wo die Flügel der Taube mit Silber überzogen sind und ihre Schwungfedern mit gelblichem Golde!« Sed haec hactenus; ad textum Hebraicum iam reddeamus.

בין שפתים] Cum ab omnibus interpretibus consensum sit »crates« esse שפתים, nihil est quod addam.

כנפי יונה נחפה בכסף] כנף generis feminini est cf. I Reg. 6, 24. 27. Hi. 39, 13: ad כנפי spectat נחפה; nam feminini nominis pluralem coniungi cum singulari verbi rarum non est; cf. ψ 18, 35 et Ges. §. 146, 3. Ew. §. 317 a.

Quibus expeditis sententia versus est investiganda. Columbam apud Hebraeos quoque timiditatis esse exemplum supra demonstravimus. Quis pavidus meticulosus fugax est columbae instar? Hos esse reges fugientes (v. 13) vel caeco appareat oportet. Cur dicit poeta alas columbae argento esse inductas et pennas eius auro flavo? Nil nisi praedam splendidam designat quam ex regibus eorumque exercitibus capturi sunt Israelitae. Haec si statuerimus, versus quartus decimus tertio decimo mira quadam respondet concinnitate:

כנפי יונה ואברותיה = מלכי צבאות ידדון ידדון
נחפה בכסף בירקרק חרוץ = ונות בית יחלק שלל

Ea igitur sententia est versuum 12—14:

Ad sacrum proficiscimur bellum; ipse Jahveh signum dedit. Ne desides et inertes recubetis domi neve pecuariam faciatis, nam certa vos manet victoria et praeda potiemini uberrima. Cave credas inhonestam esse tantam praedae aviditatem neque decere poetam. Aliter de hac re sentimus nos, aliter senserunt Hebraei. Praedam dispertiri cum gaudent homines proverbio increbruit Jes. 9, 2. ψ 119, 162: praedam ex hostibus suis capturos esse Israelitas prophetae pronunciant Ez. 39, 10. Zakh. 2, 13 — quid quod ne in Messiae quidem depingendo regno praedae mentionem facere obliviscuntur Jes. 33, 23. 53, 12. Hac ratione simplicissime interpretandus esse versus quartus decimus videtur, hac ratione versum ipse interpretatus sum novum aliquid me reperisse opinatus: et libere confiteor haud

leniter me esse stomachatum cum in idem iam Böttcherum incidisse mihi fuerit compertum (cf. F. Böttcher Exegetisch-kritische Aehrenlese zum Alten Testament p. 52).

Obscurus est versus decimus quartus, obscurior decimus quintus; quot vocabula, tot fere scrupuli.

בפרש] vertendum est: »cum dissipavit«. Inest enim τῷ פרש vis dissipandi cuius rei testes sunt loci Ez. 17, 21 et Zakh. 2, 10. Negat hoc Hitzigius, qui: »dass פֵּרֵשׂ«, inquit, »nirgends, auch Sach. 2, 10 nicht, »zerstreuen« bedeutet, ist bekannt.« Esto — quamvis Ewaldio quidem hoc notum non fuerit; alia praeterea restat τοῦ פרש potestas: est »secare carnem coctam« quod nos dicimus »tranchiren« Mikh. 3, 3 et »frangere panem« Thren. 4, 4; Jes. 58, 7 et absolute Jer. 16, 7 (duobus his locis scriptum est פרס). Sed ubique est Qal, non Piel et haud facile dixerit quisquam, deum secare vel frangere hostium reges. Itaque neglectis quae opposuit Hitzigius vertimus: »cum dissipavit omnipotens reges«.

בה] »in ea« »ibi« id est: ibi terrarum ubi fugiunt reges. Haec omnia quomodo sint intellegenda procedente commentariolo demonstrabimus.

תשלג בצלמון] Sphingis quasi aenigma haec nobis verba obiiciunt: sed adest Ewaldius Oedipus nobilissimus qui qua est ingenii acie et solertia solvit aenigma proverbii locum haec verba obtinere coniiciens. Sed antequam accedamus ad enucleandam huius proverbii sententiam, ipsis verbis lucem afferre oportet.

תשלג] Est tertia persona feminini generis qua impersonaliter utuntur Hebraei: »ninxit« cf. Am. 4, 7. Forsitan expectaveris תשליג, videas quaeso ψ 18, 12 et Ewaldium §§. 131 b, 343 b.

בצלמון] Primum quaeritur, utrum nomen proprium sit צלמון an appellativum. Haud pauci viri docti et iam Raschi

(בארץ צלמות וחשך) appellative intellexerunt: at grammatica mihi obstare videtur ratio, et cum in grammaticorum operibus nihil potuerim reperire paulo fusius de ea re mihi agere liceat. Nomina enim appellativa secundum schema קִטְלוֹן formata non qualitatem notant, sed rem qualitate praeditam. Omissis obscurissimo illo ἅπαξ λεγομένῳ הַרְמוֹן Am. 4, 3 et רַעְיוֹן quod mere Aramaicum est quinque sunt huiusmodi nomina: אַגְמֹן Hi. 41, 12 non est calor sed lebes calidus; tritissima vox אַרְמוֹן non est altitudo, sed domus alta, arx, palatium; עַרְמוֹן Gen. 30, 37. Ez. 31, 8 non est nuditas, sed arbor nuda, platanus, quippe quae cortice deiecto quasi nudam se praebeat; פַּעֲמֹן Ex. 28, 33. 34. 39, 25. 26 non est τὸ συμπλήττειν, sed τὸ συμπλῆττον, tintinnabulum plectri ictu resonans; שַׁלְמֹן Jes. 1, 23 non est conciliatio, sed donum quo iudicem corrumpit reus sibique conciliat. Itaque nixi formis אגמון ארמון ערמון פעמון שלמון haud temere videmur asserere, צלמון non esse obscuritatem, sed rem quandam obscuram et probari non posse eos qui vertant: »da schneit es in der Dunkelheit«. צלמון nomen proprium est montis prope Sichem urbem siti quem silvosum fuisse e loco Jud. 9, 48 patet.

Quibus constitutis versus decimus quintus sic fere vertendus est: »Cum dissipavit omnipotens reges ibi, ninxit in Zalmone.« Verba ipso Zalmone obscuriora! Lucem iis attulit Ewaldius qui proverbium inesse coniecit et: »Und so haben wir«, inquit, »hier noch eine sprichwörtliche redensart mitten aus der Richterzeit.« Sed nondum ad finem usque pervenimus; nam quae tandem fuerit illius proverbii sententia quaerendum nobis est. Sine dubio metaphorice dictum est τὸ ningere, et ipsa paene natura fert ut hominibus arido Asiae Africaeque sole tostis nix quae dulcem praebet refrigerationem sit gratissima atque flagrantissimo desiderio exoptata. Hanc ob rem Arabibus — quod haud pauci iam viri docti attulerunt ad explicandum versum

nostrum — אחלג proprie est »nive aspergere«, metaphorice »laetitia afficere«; hanc ob rem Arabes qui cum hominis mortui faciunt mentionem nomini eius addere solent piam formulam רחמה אללה »misereat eius deum!« in comptiore sermone dicunt: ברד אללה מצֿגעה »refrigeret deus cubile eius!« — et ab Hebraeorum quoque loquendi ratione alienam non fuisse hanc metaphoram a nive petitam, luce clarius efficitur ex celeberrimo illo Proverbiorum loco 25, 13: כצנת שלג ביום קציר ציר נאמן לשלחיו ונפש אדניו ישיב »sicut frigus nivis die messis est legatus fidelis iis qui miserant eum et recreat animam domini sui«. Itaque haec esse sententia versus videtur: Ubi dissipavit deus reges et victoria vos ornavit, gravisi estis ut gaudent homines cum nix quae in Zalmonem cadit dulci eos afficit refrigeratione et aspectum praebet gratissimum nix candida nigris silvis infusa.

v. 18. אדני בם] »Dominus est in illis«, scilicet in millibus et myriadibus angelorum. Similem praepositionis ב usum invenimus locis Jos. 24, 6. Jer. 46, 22. Ez. 26, 7. II Chron. 12, 3. Est dominus exercituum caelestium qui tanquam imperator triumphans millibus et myriadibus vehitur.

סיני בקדש] »Sinai est in sanctuario«; nostrates, verbum verbo reddentes aptissime veterint: »Sinai ist's im Heiligthum.« Is ipse dominus deus omnipotens qui quondam in monte Sinai Mosi et populo maiestatem suam manifestavit, nunc in monte Zionis posuit domicilium suum ubi arca foederis est in sanctuario. Ewaldius interpretatur: »in Heiligkeit«, Hitzigius »unnahbar« et haec addit: »בקדש bedeutet nicht »ins Heiligthum«, sondern, hier am Versende wie v. 25 zu erklären, »in Heiligkeit«, als Bestimmung zum Nomen, d. i. in Unnahbarkeit.« En mira viri doctissimi inconstantia! Prorsusne oblitus est Hitzigius psalmi sexagesimi tertii ubi v. 3 illud ipsum בקדש ipse vertit »im

Heiligthum?« Itaque sic interpretandum esse censeo: »dominus in illis, Sinai in sanctuario.« Negari non potest obscura esse haec verba propter nimiam breviloquentiam, et hanc ob rem textus corruptelam odorati sunt haud pauci. Pottius locum afferens Deut. 33, 2 sic emendandum esse statuit: ארני בא מסיני בקרש, quod nonnullis recentioribus mire arrisit. »Dominus venit a Sinai in sanctuarium« — quam ieiunum quam frigidum quam ab omni poetico cultu destitutum quam male congruens cum totius psalmi tenore qui summam ubique spirat loquendi granditatem! Accedit quod ista Pottii coniectura miserrime vexat parallelismum duorum colorum elegantem et quem certo voluerit poeta:

ארני בם : סיני בקרש

et vix puto Hebraice dici potuisse בא מסיני בקרש potius dicendum videtur בא מסיני אל הקרש! Itaque facillime carere hac emendatione possumus et toto corde Masoretharum lectionem amplectimur tuemur.

v. 19. למרום] »in altitudinem« scilicet in montem Zionis. Hupfeldius obloquitur hisce verbis: »absolut mit dem Artikel steht es sonst stets von Himmelshöhe als Wohnung Gottes«. Sed praesto mihi sunt loci duo ubi absolute additoque articulo positum est מרום ea ratione ut non sit caelum dei habitaculum, locos dico Hab. 2, 9. Hi. 39, 18.

ואף סוררים לשכן יה אלהים] »etiam rebelles sunt qui maneant prope Jah deum«. יה אלהים accusativus est qui pendet ex שכן, simillimum locum habes ψ 5, 5 לא יגרך רע. Et accusativum cum שכן coniunctum non semper proprie loci esse accusativum collegeris ex loco Prov. 8, 12: אני חכמה שכנתי ערמה ego sapientia incolo solertiam i. e. penes me est solertia cf. ψ 22, 4. לשכן omnino respondet Latinorum gerundio, supplendum

est היו cf. Ew. §. 237 c; cave confundas hoc gerundium cum futuro ab Aramaismo biblico per ל formato de quo consulas Franciscum Dietrich Abhandlungen zur hebraeischen Grammatik p. 180—194. Quae sit versus sententia ingeniosissime mihi perspexisse videtur Ewaldius.

v. 23. מִבָּשָׁן אָשִׁיב] Mira est quam Peschito protulit versio דמן בית שנא אפק »ex dentibus eripiam« tanquam si scriptum sit מִבֵּין הַשִּׁנַּיִם. Hostes sunt quos arcessit dominus, non Israelitae.

v. 24. תִּמְחַץ רַגְלְךָ] Hoc loco textui a Masorethis tradito patrocinari non possumus. Ewaldius linguae Arabicae afferens radicem hanc sententiam statuit: »damit dein fuss in blut erglänze«; at ista potestas non propria est radicis מחץ sed derivata et quae apud Hebraeos probari nequeat itaque Ewaldium sequi dubitamus. LXX interpretes et Peschito legisse videntur תרחץ quippe qui vertunt ὅπως ἂν βαφῇ ὁ πούς σου ἐν αἵματι et מטל דתצטבעי רגלך בדמא et levissima haec literarum mutatio textui medetur quam ob rem omnes fere interpretes mutationem illam probant et locum afferunt simillimum ψ 58, 11. Ambigitur utrum תרחץ sit secunda persona masculini generis et רגלך accusativus obiecti an tertia persona generis feminini et רגלך nominativus subiecti. Per regulas grammaticas licita est constructio utraque; priorem fulcit locus cuius mentionem iam fecimus ψ 58, 11: mihi magis placet altera cui adstipulantur LXX interpretes et Peschito; exemplum probans exstat Hi. 29, 6 ברחץ הליכי בחמה »cum intincti fuerunt gradus mei lacte coagulato«. Itaque constituta lectione תרחץ vertimus: »ut intingatur pes tuus cruore«.

מִנֵּהוּ] Hoc quoque vocabulum vexatissimum est et Ewaldius cum de interpretando eo desperaret emendationem pro-

posuit נִצְחוֹ e Jes. 63, 3 depromptam qui locus versui nostro propinquus est atque finitimus. Sed nescio an tueri possimus lectionem traditam. Olshausenius coniecit מְנָתוֹ cf. ψ 11, 6. 16, 5. 63, 11 et bene perspexit quid aptum sit loco nostro; sed eandam sententiam textus lectio praebere videtur. Nam sicut קֵץ et קְצָת idem valent, ita etiam τῷ מְנָת substitui posse videtur מֵן, itaque מִנֵּהוּ prorsus idem est atque מְנָתוֹ et vertendum: »pars eius«. Hanc interpretationem protulerunt de Wettius Delitzschius Hupfeldius. Pronomen suffixum הוּ respicit ad לשון, quod plerumque est generis feminini, exstant vero nonnulli loci ubi sine dubio masculinum genus adhibuerunt Hebraei; Delitzschius affert ψ 22, 16. Prov. 26, 28 quibus addere possum Jos. 7, 21. 15, 2. Hi. 27, 4. Thren. 4, 4.

v. 25. הליכותיך] »pompam tuam« non pompas tuas. Est enim pluralis quem poeticum dixit Franciscus Dietrich in commentario illo subtili cui inscripsit »Der hebraeische Plural« Abhandl. z. hebr. Gramm. p. 19.

v. 28. רדם] Excepto Hitzigio interpretes recentiores omnes consentiunt רדם esse »dominum eorum« רֹדֶה בָהֶם; simillima est forma הַמַּעֲלֵם Jes. 63, 11 quam Aben Esram secutus Delitzschius attulit.

רגמתם] ἅπαξ λεγόμενον quod inde a Kimchio verterunt viri docti »turba eorum« et optime hoc ad totius loci contextum quadrat. Hupfeldius ut illam ipsam efficeret sententiam emendavit רגשתם cf. ψ 64, 3; sed bene iam notavit Hitzigius, hanc emendationem secum ducere »einen ungehörigen Nebenbegriff«; nam τὸ רגשה ψ 64, 3 ipsum est ἅπαξ λεγόμενον et inhoneste dictum: מרגשת פעלי און. Itaque mutandum non esse censeo.

v. 29. צוה אלהיך עזך] Haec verba vexatissima sunt. LXX interpretes vertunt ἔντειλαι ὁ θεὸς τῇ δυνάμει σου et

eodem modo Peschito פקיד אלהא עושנך tamquam si scriptum sit: צַוֵּה אֱלֹהִים עֻזָּךְ et hoc ipsum Ewaldius Olshausenius Hupfeldius in textum receperunt. Non placet; haec potius sententia est: Magnus est exercitus Israelis, magnam victoriam reportavit. At ne glorieris, Israel: non tu, deus tuus est qui gratia sua prosperum constituit successum. Itaque cur discedamus a lectione tradita non video equidem.

Optime versum nostrum Germanice vertit vir vetus probusque Ambrosius Lobwasser, qui in psalmo sexagesimo octavo interpretando multo felicius mihi egisse videtur quam Lutherus; liceat verba eius in transitu afferre:

Israel, das ist Gottes Macht,
Dass du hast diese Ding vollbracht;
Gott, gieb uns ferner Stärke!
Du fängest alles glücklich an,
Und dies, was du an uns gethan
Vollend und bring ins Werke.

עוזה] LXX interpretes et Peschito *κατὰ σύνεσιν* vertunt: *δυνάμωσον* ואעשן. Aptissimum illud quidem sed quod comprobari nequeat. Ubique enim עזז verbum est intransitivum »validum esse«; etiam iis locis quos attulit Delitzschius Prov. 8, 28. Qoh. 7, 19 עזז intransitivum esse mihi quidem videtur non transitivum: nam Prov. 8, 28 vertendum est: »Cum validi fuerunt abyssi fontes« neque fortuitum est e sex infinitivorum numero cum ב coniunctorum unum בעזוז carere pronomine suffixo ו — et Qoh. 7, 19: »sapientia sapienti validior est quam decem praefecti qui sunt in urbe«. Itaque concedere non possum עזז esse transitivum. Ne nomen quidem proprium עזזיהו ad hoc demonstrandum valet, nam eadem ratione excusum est nomen proprium אמציהו cum אמץ nihil sit nisi »firmum esse«. Hupfeldius: »also wird«, inquit, »die ältere transitive Fassung,

obgleich ohne Beleg, anzunehmen sein« et Ewaldius: »עז als verbum activum« nullis additis argumentis. Usus vero tyrannus est itaque videamus an tueri possimus intransitivam verbi vim. Ex ψ 17, 9 efficitur זו nominativo quoque τοῦ אשר substitui, non solum accusativo. פעל nullo addito obiecto absolute dicitur Jes. 43, 13. 44, 12 et eodem modo עשה aliquot locis Jes. 38, 15. 44, 23. ψ 22, 32. 37, 5. 52, 11. 119, 126. Hi. 21, 31 et uno loco מי פעל ועשה Jes. 41, 4. Nihil igitur obstat quominus vertamus: »potentem te exhibe, deus, qui operatus es pro nobis«: ad illam ipsam efficiendam sententiam עשה absolute cum ל coniunctum legimus Jes. 64, 3 אלהים זולתך יעשה למחכה לו »deus . . . qui operatur pro iis qui sperant in eum« »qui opitulatur iis etc.« Ita nostro loco verterunt de Wettius Stierius Hengstenbergius qui aptissime afferunt locum Jes. 26, 12. Haec quomodo cum iis cohaereant quae sequuntur in versu 30 explicando demonstrabimus. Hitzigius offendit in forma עוּזָּה: »eine Imperativform סֹבָּה entbehrt auch vor א aller Analogie«. Itaque nescio an deleto dagesch legendum sit עוּזָה et forma statuenda per metaplasmum quem vocant a radice עוז excusa cuius rei non deest analogia commodissima, formas dico יָרוּץ Jes. 42, 4 et הֵרוֹץ Ez. 29, 7, quae derivandae sunt secundum regulas grammaticas a רוץ, secundum sententiam a רצץ. Loco quoque Jes. 33, 19 forma exstat נועז a radice יעז derivata, cuius potestas ad radicem עוז spectat; praeterea huc pertinent formae הִבּוֹק et הִבּוֹז Jes. 24, 3.

v. 30. מהיכלך על ירושלם] Ewaldius vertit: »deines Tempels wegen zu Jerusalem« — at ubi locorum Vetus Testamentum docet deum coli propter templum eius magnificum? Optime Hitzigius: »die Ehre des Tempels kommt von seinem

Gotte, nicht umgekehrt.« En mira quam nostrates dicunt Fortunae ironia! Ex omnibus recentioribus qui prae manibus mihi sunt interpretibus nemo nisi Stierius Ewaldium antegressus est, nemo nisi Hengstenbergius Ewaldium secutus est. Aliter intellexerunt LXX interpretes Peschito Hitzigius Delitzschius: *ἀπὸ τοῦ ναοῦ σου* — at reges non e templo sed in templum dona deo offerunt itaque sanum quoddam iudicium secutus Aethiops vertit: וסח צרחכ ואירסלמ לכ ימצא נגשת אמח »in templum tuum quod est Hierosolymis reges tibi dona adducent.« Quibus examinatis huic quoque interpretationi adstipulari non possumus. Rem acu mihi tetigisse videtur de Wettius qui in unam periodum versus 29 et 30 comprehendit. מהיכלך locum depingit unde potentem sese deus exhibet, לך יובילו וגו׳ finem ad quem efficiendum potentem se exhibet. Eodem modo ψ 18, 7 מהיכלו deus Davidis audit vocem et auxilium ei demittit, et solum imperfectum nulla coniunctione addita finalem vim habere posse Ewaldius exemplis comprobavit §. 337 b. Itaque sic vertendum est: »Potentem te exhibe, deus, qui operatus es pro nobis, e templo tuo Hierosolymis imminente ut reges dona tibi offerant«. Haec sententia est apta concinna simplex: simillimum »enjambement des vers« quod dicunt Gallorum viri poeticam artem rationibus cognoscere atque constituere studentes suppeditant tibi psalmi nostri versus 33 et 34 et ψ 17, 13 — 14.

v. 31. מתרפס ברצי כסף] Hic quoque versus inter totius psalmi obscurissimos est numerandus. ברצי *ἅπαξ λεγόμενον* de quo interpretando consentiunt Gesenius Ewaldius Hitzigius Delitzschius: רצי כסף sunt lateres argentei forma non signati. Varie autem dissentiunt viri docti quid sibi velit *τὸ* מתרפס. Duobus tantum Veteris Testamenti locis התרפס legitur: nostro loco et Prov. 6, 3 לך התרפס ורהב רעיך. Ibi Aben Esra

sic explicat: התרפס׳ מן ברגלה רפסה והטעם לך אליו והכנע יהיה לו למרמס. Hunc secuti plerique interpretes vertunt: »sese prosternere« »supplicem orare atque rogare.« Sed haecce *τοῦ* מתרפס potestas quomodo ad nostrum psalmi locum quadret vix intellegi posse videtur. »Increpa, deus, eum qui prosternit sese lateribus argenteis tibi oblatis« — quid? Talemne deus increpat? Imo benigne alloquitur et libens ac supinis manibus excipit. Itaque videamus an aliter interpretari possimus illud participium et ecce Ewaldius qui ex angustiis nos eripiet. Is enim: »das particip«, inquit (§. 335 a), ... »steht so kürzer für das verbum finitum mit einem relativworte, wo es nur möglich ist.« Atqui *τὸ* אשר etiam finalem habet vim cf. Gen. 11, 7. Deut. 2, 25. Jos. 3, 7. Ruth 3, 1: ergo participium quoque מתרפס quod idem est atque אשר יתרפס finaliter intellegi potest et vertendum est: »ut prosternat sese lateribus argenteis oblatis«. Optime Aben Esra: גער בהם עד שהיה כל אחר מהם מתרפס לפניך ברצי כסף לתת מס, et eodem modo Rosenmüllerus Stierius Delitzschius. Singularis masculini מתרפס collectiva praeditus est potestate: nos neutro utimur cf. *ψ* 8, 9. Itaque textus mutandus non videtur.

בזר] LXX interpretes *διασκόρπισον* et omnes fere recentiores scribendum putant בַּזֵּר vel בַּזַּר: sed non cogit nos necessitas, nam haud ita rara est apud Hebraeorum poetas huiusmodi personarum enallage. Hitzigius ipsum בִּזַּר imperativum esse vult: »man sprach ihn«, inquit, »gegenüber von בִּזֵּר, dem ersten Modus, בִּזַּר aus, nicht בַּזַּר, gleichwie von מַרְבֵּץ z. B. der Status constructus מִרְבַּץ lautet, nicht מַרְבַּץ». At aliud est substantivum aliud verbum: accedit quod tota huius formae proprietas posita est in *τῷ* Patach prioris syllabae. Neque *κακοφωνίαν* inesse formae בַּזַּר Hebraei censuerunt: prae manibus enim est imperativus Piel וְקָרַב Ez. 37, 17; si vera

esset Hitzigii sententia dicendum fuisset וַיִּקְרַב; קְרַב omnino nos deducit ad formam primitivam קְרַב.

v. 35. תְּנוּ עֹז] »date gloriam«. Sunt qui negant עֹז esse gloriam. Quid? Potentiamne dant homines deo omnipotenti? Absit! Deus opus non habet hominibus. Et alii sunt loci ubi עֹז nihil est nisi gloria: Ex. 15, 2. Jes. 12, 2. ψ 8, 3 (cfr. Matth. 21, 16) et quod gravissimum est II Chron. 30, 21.

Haec sunt quae ad grammaticam mihi dicenda visa sunt exegesin: nunc totius psalmi versio Latina iam est adiicienda.

I.

v. 2. Si deus exsurgit disiiciuntur hostes eius et qui oderunt eum aufugiunt a facie eius. v. 3. Sicut dissipatur fumus, dissipas (eos): sicut liquefit cera igne pereunt scelesti a facie dei. v. 4. Iusti vero gaudent exsultant coram deo et laetantur gaudio.

v. 5. Canite deum, psalmum dicite nomini eius, munite viam ei qui vehitur per deserta, Jah nomen eius est et exsultate coram eo, v. 6 qui pater est orborum et patronus viduarum deus in sancto suo habitaculo. v. 7. Deus habitare facit inopes in domo, educit captivos in prosperitate, soli rebelles manent in desertis.

v. 8. Deus, cum profectus es coram populo tuo, cum gressus es per deserta, sela: v. 9 terra concussa est, etiam caelum stillavit coram deo; Sinai ille (stillavit) coram deo, deo

Israelis. v. 10. Pluviam largam sparsisti, deus, haereditatem tuam defessam, tu recreasti eam. v. 11. Tribus tua habitavit ibi, stabilis benignitate tua misero (terram, ubi habitat), deus!

II.

v. 12. Dominus dat signum, magnum est agmen feminarum quae celebrant victoriam. v. 13. Reges exercituum aufugiunt, aufugiunt et habitatrix domus dispertit praedam. v. 14. Num recubabitis inter crates? Alae columbae indutae sunt argento et pennae eius flavo auro! v. 15. Cum dissipavit omnipotens reges ibi, ninxit in Zalmone.

v. 16. Mons divinus est mons Basan, mons cacuminosus est mons Basan. v. 17. Quid lividis oculis adspicitis, montes cacuminosi, eum montem in quo habitare deo placuit: etiam semper (ibi) habitabit Jahveh. v. 18. Currus dei duae myriades sunt, milia innumerabilia: dominus in illis, Sinai in sanctuario. v. 19. Adscendisti in altitudinem, cepisti captivos, sumpsisti dona qui sunt homines, et vel rebellibus habitandum est prope Jah deum.

v. 20. Benedictus sit dominus! Quotidie baiulat onus nostrum, ille deus qui est auxilium nostrum. Sela. v. 21. Deus nobis est deus salutifer, et Jahveh domino rationes sunt quibus (vel) e morte eripiat. v. 22. Profecto deus contundit caput hostium suorum, verticem caesariatum eius qui ambulat in peccatis suis. v. 23. Dixit dominus: A Basan arcessam, arcessam ab abyssis maris, v. 24 ut intingatur pes tuus cruore (ut) lingua canum tuorum in hostibus (habeat) partem suam.

III.

v. 25. Viderunt pompam tuam, deus! pompam dei mei, regis mei in sanctuario. v. 26. Antecedunt canentes, pone (eunt) citharistae inter puellas tympanizantes. v. 27. In concionibus benedicite deum, dominum (benedicite, quicunque originem ducitis) e fonte Israelis. v. 28. Illic Benjamin parvus, dominus eorum, principes Judae catervatim, principes Sebulon, principes Naphtali.

v. 29. Deus tuus constituit virtutem tuam, potentem te exhibe, deus, qui operatus es pro nobis, v. 30 e templo tuo super Hierosolymis, ut tibi reges offerant dona! v. 31. Increpa beluam canneti, catervam taurorum cum vitulis gentium, qui prosternant sese lateribus argenteis (oblatis): dissipavit gentes quae bella amant. v. 32. Veniant magnates ab Aegypto, Aethiopia quam ocissime manus tendat ad deum.

v. 33. Regna terrae, canite deum, psalmum dicite domino, sela; v. 34 (canite) eum qui vehitur caelis caelorum antiquitus (creatis), ecce emittit vocem suam, vocem potentem. v. 35. Date gloriam deo! Super Israele maiestas eius et potentia eius in nubibus. v. 36. Verendus es, deus, a sanctuario tuo; deus Israelis est qui dat virtutem et vires populo. Benedictus sit deus!

Quae cum sint expedita iam transeamus ad eruendas indolem atque originem totius psalmi.

Et hoc primum apparet ἐπινίκιον carmen esse psalmum nostrum. Poeta gratias agit deo grandissimisque verbis deum canit qui populo suo victoriam dedit qui contudit caput hostium. Ex versu 2 efficitur arcam foederis a populo in bellum esse eductam, versus 20, 21, 22 docent gravissimum fuisse hoc bellum atque periculosissimum, versus 13, 19, 23, 24 certiores nos faciunt adiuvante deo optimo maximo splendidissimam victoriam reportasse Israelitas et praeda potitos esse uberrima. Ne versus quidem 6 a bellicoso totius carminis abhorret tenore: »bella« enim »matribus detestata« sunt quippe quae orbos reddant liberos, uxores viduas. Versus 25 et qui sequuntur causam atque conditionem psalmi nobis indicant. E bello reversi foederis arcam triumphali pompa in Zionis montem Israelitae reducunt et ad hoc ipsum celebrandum poeta carmen suum videtur composuisse. Sed poeta quis est? Versus 1 Davidem dicit cumque vetustissimam hoc nobis praebeat traditionem dignissimum est quod accuratius examinetur.

Iam Peschito et Aben Esra protulerunt quid censeant de psalmi origine atque temporibus: sed haud multum inde profeceris cum nimis ampla sint et parum certis finibus circumscripta quae statuerunt. Peschito enim dicit: לדויד כד אתטיבו מלכא דנקרבון עמה »Davidis cum pararunt sese reges ut pugnarent cum eo«, et Aben Esra: והנכון בעיני כי זה המזמור חברו דוד על המלחמה שהיתה לו עם ערלים; at multa cum praeputiatis bella David gessit et haud pauci reges pararunt sese ut pugnarent cum eo. Itaque omnino certum quoddam atque definitum in Davidis vita investigandum est tempus cui carmen nostrum attribuere possimus et assignare.

Et ipsa paene natura fert ut oculis nostris se offerat bellum Syro-Ammoniticum, ex omnibus quae gessit David bellis gravissimum idemque splendidissimum et multi iam viri docti hac ratione psalmum sunt interpretati. Bellum illud nobis narrant alter Samuelis liber capp. 10. 11. 12 et prior Chronicorum liber capp. 19, 1 — 20, 3. Huc quoque pertinent II Sam. 8, 3—14 et I Chron. 18, 3—13 quod optime mihi exposuisse videtur Ewaldius (gesch. d. volk. Isr. III, 204—217 ed. III): nam alterum Samuelis librum bella Davidis non deinceps composuisse aetatum ordinem secutum ex eo effeceris quod II Sam. 8, 12 narratur ומבני עמון praedam cepisse Davidem eamque deo sanxisse cum nusquam ad id dictum sit bellum intercessisse inter Davidem et Ammonitas. Itaque iam videamus an cum iis concinat psalmus noster quae de bello Syro-Ammonitico nobis sunt tradita.

Versus 2, qui Mosis resonat verba Num. 10, 35, docet nos arcam foederis in bellum esse eductam et hoc ipsum factum esse tempore belli Syro-Ammonitici ex loco II Sam. 11, 11 patet.

Versus 12. »Dominus dat signum«. Notissimum est Davidem antequam aggrederetur ad rem graviorem deum consuluisse per ephod quod gestabat Ebjathar pontifex I Sam. 23, 2. 4. 9—12. 30, 7. II Sam. 2, 1. 5, 19. 23. Non diserte nobis narrant libri Samuelis Davidem etiam in posterioribus bellis suscipiendis deum consuluisse, sed vix temere putare videor factum hoc esse itaque optime et proprie dicere licuit Davidi ipsum dominum belli dedisse signum. — »Feminae quae pronunciant victoriam«. Hic quoque mos fuit temporibus Davidis feminas atque virgines choris carminibusque celebrasse victorias et victores I Sam. 18, 6. 7. II Sam. 1, 20. Priorum temporum exempla sunt Ex. 15, 20. Jud. 5, 1. 11, 34.

Versus 13. »Reges exercituum aufugiunt, aufugiunt.« Quaecunque exegesis sana esse vult atque sobria eam iudicandi

regulam normamque habeat oportet ut proprie intellegat quae proprie sunt dicta, ut ibi tantum metaphoricam constituat sententiam ubi metaphorice locutum esse poetam elucet. Quibus probatis proprie haec verba intellegere non dubito et hoc quoque optime quadrat ad bellum Syro-Ammoniticum: nam quattuor fuerunt reges quos fugavit David, reges dico Zobae, Rehob, Maakhae, Tob II Sam. 10, 6 – 19 cf. 8, 3 — 13: itaque verba מלכי צבאות ידדון ידדון aptissime significant bellum Syro-Ammoniticum. Haud minus huc spectant quae sequuntur: »et habitatrix domus dispertit praedam«. Nam traditum est splendidissimam uberrimamque ex illo bello praedam Davidem cepisse: II Sam. 12, 30. 8, 7. 8. 11. 12.

Versus 15. »Ubi dissipavit omnipotens reges ibi.« Haec verba omnino eadem atque versus 13 ratione intellegenda sunt; versus 15 statque caditque cum versu 13.

Versus 19. »Ascendisti in altitudinem, cepisti captivos, assumpsisti dona qui sunt homines, et vel rebellibus habitandum est apud Jah dominum«. Optime hunc versum interpretatus est Ewaldius (Jahrb. d. Bibl. wiss. IV, 1852 p. 54 cf. Alterthümer ed. I p. 299 — 300). Deum poeta alloquitur qui reversus in montem Zionis captivos secum ducit qui ei sacrantur ut sint נתינים et sanctuarii ministeriis fungantur, et hic mos fuit Davidis (Esr. 8, 20) et Salomonis (Neh. 7, 60). Itaque huic quoque versui nihil inest quod discrepet a temporibus Davidis.

Versus 25 et 26. Notissimum est magnam operam navasse Davidem ut solemnibus tanto numine dignis deum Israelis coleret. Simillima nobis pompa narratur II Sam. 6, 12 — 15.

Versus 28. Si proprie intellegimus hunc versum - et quid impedit quominus proprie eum intellegamus? — elucet ita dici non posse nisi antequam a Davidis domo secesserunt decem tribus Israelis. Cur harum tribuum mentionem poeta fecit, omisit reliquas? Primum dicendem est historici esse non poetae

omnes percensere tribus quae in bellum profectae erant et tunc triumphantes Hierosolyma reverterant. At ratio quaedam inest cur hae ipsae sint delectae. Benjamin et Juda omnium tribuum maxime ad meridiem vergunt, Sebulon et Naphtali maxime ad septentriones ita ut idem fere valeat atque notissimum illud כל ישראל מדן ועד באר שבע. Praetermittere non licet quod Benjamin nominatus sit רדם »dominus eorum«. In promptu est ratio: Hierosolyma enim quae pulsis Jebusitis iam expugnaverat David II Sam. 5, 7 tribui Benjamin assignata erant per Josuam 18, 16. 28. Quae cum ita sint etiam versus 28 a Davidis temporibus alienus non est.

Versus 31. Huius versus verba sunt suprema quae maximi sunt momenti. Dicit enim poeta si Masoretharum sequimur punctos: »disiecit (deus) populos qui bella amant.« Bellum Syro-Ammoniticum non fuit bellum finium proferendorum cupiditate susceptum sed bellum quo David suum ipsius honorem et totius populi vindicavit ab eo qui petulantissime eum lacessiverat. Talia enim perpetrare qualia Chanun Davidis legatis fecit II Sam. 10, 4 semper et ubique est ad bellum provocare. Itaque David vere et iuste gratias deo potuit agere qui dissipaverat populos bella non sine voluptate molientes et facile intellegas quomodo iudicandus sit Reussius qui: »Wie?« inquit, »wenn David, wenn irgend ein König einen Eroberungs- oder Rachezug gegen seine Nachbarn unternimmt, wie es doch alle unsre »kriegliebenden« Exegeten annehmen, so soll ein Dichter dazu sagen: »Zerstreue die Völker, die Kriege lieben?« Ist solche Rede bei einem Offensivkriege nicht eine Absurdität?«

At, dixerit forte quis, nonne in arena tu domum tuam ponis? Sunt enim haud pauci iidemque haud spernendi qui prorsus negant unum esse carmen nostrum ab uno poeta uno tenore compositum. Sunt Ewaldii sunt Nöldekii qui sic iudicant. Ewaldius (Dichter des AB I, 2, 417 ed. III): »Das ganze,« inquit, »ist mehr aus einer reihe von älteren glanzstellen schön

zusammengesetzt, als neues werk und feste fügung«, et Nöldekius (die alttestam. Lit. p. 137): »Der mit grossem Pomp auftretende Psalm 68 ist mit Ausnahme weniger Verse ein ziemlich ungeschicktes Gemisch aus alterthümlichen Liedern und Sprüchen, die wir theils noch haben, theils nur aus ihm kennen.« En quales viri! Tamen suis quisque oculis utatur oportet et libere fateor meorum oculorum aciem fugisse quae viderunt Ewaldius et Nöldekius et demonstrandum iam erit bene compactum esse psalmum et optime cohaerere singula cum singulis.

v. 2—4. Est prooemium quod brevissimis verbis totam temporum rationem totamque rerum statum nobis depingit: In bellum profecta est arca dei, fugati sunt hostes impii, gaudet populus cui victoriam dedit deus. v. 5. Arca revertit, iubilent Israelitae coram deo לרכב בערבות. Haec quoque verba optime proprie possunt intellegi. ערבות enim sunt ערבות יריחו Jos. 4, 13. 5, 10. II Reg. 25, 5. Jer. 39, 5. 52, 8; cf. Num. 26, 63. 33, 50. 35, 1. 36, 13 et prope Jericho et Gilgal vadum est quo Jordanus transitur cf. II Sam. 19, 16—18; itaque expugnata et diruta Rabbath-Ammone arca foederis hoc vado Jordanum traiecit et per deserta Jericho Hierosolyma revertit et aptissime poeta canit: »psalmum dicite nomini eius, munite viam ei qui vehitur per deserta.« v. 6—7. Epitheta sunt dei quibus celebratur clementia eius et misericordia epitheta generalia illa quidem quae tamen non sine magna quadam arte ea ratione a poeta sint excogitata ut facillime referantur ad exodum populi ex Aegypto. Ibi enim inopes et ab omni auxilio destituti erant Israelitae, ibi captivi erant, inde deus omnipotens et misericors eos eduxerat in prosperitate: et is ipse deus populum rebellem perdidit in desertis: ii enim sunt סוררים, qui שכנו צחיחה, *ὧν τὰ κῶλα ἔπεσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ* (Hebr. 3, 17) quem locum optime aptissimeque attulit Delitzschius, conferas quoque Num. 14, 29. 35. I Cor. 10, 5. Judae 5. Poeta cohortatur Israelitas ut canant deum itaque in memoriam iis re-

vocat quam mire quam praeclare deus optimus maximus secundum immensam suam gratiam populo consuluerit atque prospexerit. Cum versibus 6—7, qui exodum ex Aegypto significant si recte sumus interpretati planissime cohaerent versus 8—11, ubi diserte poeta adumbrat decalogi promulgationem, inter per deserta factum, occupationem terrae a deo populo suo sponsae.

Versus 2—11 quasi introitus sunt quo ad ea poeta respicit quae praeterierunt. Versu 12 transit ad tempora praesentia: Sicut patres nostros gratia et ope sua deus adornavit, ita nos quoque sumus experti deum esse fortitudinem firmamentum refugium populi sui. v. 12—15 bellum modo ad finem perductum poeta nobis depingit cumque multa iam de hisce versibus sint dicta hoc loco nihil amplius addam. Bellum Syro-Ammoniticum in regionibus trans Jordanum sitis gestum erat; ibi sunt montes Basan. Arca foederis quam in bellum duxerant Israelitae huc quoque pervenit. Montes Basan, mirabili arte *προσωποποιούμενοι* a poeta, putant se ipsos digniores esse in quibus reponatur arca dei, quam humilem atque depressum collem Zionis. At vero finito bello arca in Zionem revertit itaque v. 16—17 poeta dicit lividis oculis adspicere montes Basan aegre ferentes quod spreti sint. Quibus expeditis nullo modo concedere possum equidem hiatum esse inter v. 15 et 16, imo arctissima compage sunt coniuncti praesertim cum Aben Esram sequimur qui Zalmonem Basanis montem fuisse dicit : בצלמון׳ והוא הר ידוע הנמצא מעבר הירדן מזרחה. Quae protulit rabbi doctissimus scripturae testimonio carent, tamen recte tradita esse possunt cum Ptolemaeus geographus inter Hauranitidis montes *Ἀσάλμανον* commemoret (vid. Wetzstein in Delitzschii comment.). — Deus ille cui semper in Zione habitare placuit vehitur in myriadibus cheruborum v. 18 et inter eos quasi triumphans ascendit in montem suum v. 19. Hucusque omnia optime inter se cohaerent. Nunc poeta respicit ad bellum modo finitum, quod periculosissimum erat

et gravissimum; deo vero rationes sunt atque viae quibus vel e morte eripiat eum quem vult. v. 20—21. Itaque deus ipse contundit caput hostium suorum et cavet ne quisquam evadat v. 22—24.

v. 25—36 poeta splendidam atque magnificam rerum praesentium conditionem reputans splendidiorem atque magnificentiorem rerum futurarum conditionem prospicit et grandissimis verbis pronunciat omnes terras omnes reges Israelis deum culturos, Israelis deum canturos fore. v. 25—28 Adest populus tuus ut gratias tibi agat, ut pompa te celebret, ut benedicat te. v. 29—34 Tot reges fugasti et tempus erit quo omnes reges omnia regna te colant. v. 35—36. Extollite deum Israelitae qui tanta vobis fecit, qui rex est super omnes reges et dominus super omnes dominos, qui vobis dat virtutem et vires. Benedictus sit deus!

Quae modo protulimus paraphrasis quidem est tamen vix vereor ne inania commenta neve res fictitias textui obtruderim, sed ea tantum dixisse videor quae dicit ipse psalmus. Probatis vero quae exposui vix quemquam infitias iturum esse censeo unum esse carmen nostrum ab uno poeta uno tenore compositum. Cumque omnia optime concinant cum Davidis temporibus, cum psalmus noster spiret summam granditatem vim audaciam, summum animum impetum ingenium, contendere non dubito ipsum Davidem esse qui composuit praeclarum hoc atque divinum carmen. Sed non satis est contendisse: comprobandum est, nam multa multi protulerunt ut demonstrarent Davidem carminis auctorem esse non posse. Itaque deinceps considerabimus quae isti obiecerunt.

I.

Obscurus est psalmus noster, carminum vero Davidis genuinorum tenor atque sermo sunt plani simplices. Sed quis est

qui contendat, plana et simplicia esse suprema verba Davidis II Sam. 23, 1—6 et quis est qui verba illa suprema Davidi abiudicet? — Est haud parvus numerus ἅπαξ λεγομένων, sunt vocabula recentiora, sunt »Chaldaismi.« Haec est virga hic baculus virorum criticorum: »Chaldaismum« clamant, »Chaldaismum« crepant, itaque hoc primum explicandum videtur cumque magni momenti res sit paulo fusius eam pertractabimus. Ea ratione utar ut genuina Davidis carmina perlustrem an Aramaismos ibi inveniamus — Aramaismos dico non Chaldaismos cum constet inter homines orientalium literarum peritos pessime excusum esse nomen istud et pravas atque perversas inde opiniones oriri. Ne quis putet nimio me seductum esse studio apologetico, ea tantum carmina hoc loco pro genuinis habebo in quibus Davidi attribuendis consentiunt Ewaldius et Hitzigius qui ex omnibus recentioribus interpretibus maxime suo quisque indulgent ingenio. Sunt psalmi 3. 4. 7. 8. 11. 12. 15. 18. 19 et initium capiamus a psalmo 18 quod genuinum esse Davidis carmen ne Nöldekius quidem conatus est negare. Et en mirum! ipsum primum huius psalmi vocabulum ארחמך purus putus Aramaismus est. Vertatur enim oportet »amo te« et uni Aramaei radici רחם hanc potestatem tribuunt; Hebraeis Arabibus Aethiopibus (מְחַר transmutatis ר et ם) nihil est nisi »miseret me«. v. 37 קרסלי ἅπαξ λεγόμενον. v. 47 ויחרגו ἅπαξ λεγόμενον. ψ 12, 2. פסו ἅπαξ λεγόμενον. v. 7. עליל ἅπαξ λεγόμενον. v. 9. זלות ἅπαξ λεγόμενον. ψ 15, 3. רגל ἅπαξ λεγόμενον. ψ 19, 12. שגיאות ἅπαξ λεγόμενον Accedit quod sunt formae atque vocabula obsoleta et poetis tantum usitata quae omisit Hebraeorum sermo pedester, retinuerunt Aramaei. Haec si Aramaica nominare vis Davidis psalmi aliquod tibi suppeditabunt Aramaismos: ψ 4, 3 תאהבון ψ 7, 15 לדלקים ib. יפעל v. 17 idem. ψ 8, 9 ארחות ψ 11, 2 ידרכון v. 3 יהרסון ib. פעל v. 7. יחזו ψ 12, 9 יתהלכון

ψ 15, 2 פעל ψ 18, 30 שור v. 34 משוה v. 35 ונחתה ψ 19, 3 יחוה v. 5 מליהם v. 6 ארח — quid quod ipsum dei nomen יהוה sacrosanctum illud *τετραγράμματον* ab Aramaica radice est derivandum! Unde efficitur argumentum a dispersis Aramaismis et *ἅπαξ λεγομένοις* depromptum esse משענת קנה רצוץ אשר יסמך איש עליו יבא בכפו ונקבה (Jes. 36, 6).

II.

Talia qualia poeta dicit v. 20. 21 (»מות תוצאות, worin nur die befreiung aus dem exile liegen kann« Ew.) David dicere non potuit. Quid? מות nihil esse potest nisi exilium Babylonicum? Dixit Ewaldius, non comprobavit. In mentem nobis revocemus tempora cum David rerum est potitus. Philistaei populum fugarant, Saulum et filios eius interfecerant: David rex erat Judae, reliquam partem Isboseth Sauli filius imperio tenebat. Interempto Abnero David queritur duros sibi esse filios Zerujae neque poenas a Joabo petere se posse II Sam. 3, 39. Minima atque exigua erant initia regni Davidis: multa bella opus erant quoad humiliaret Philistaeos et fraenum metropolis eriperet e manibus eorum II Sam. 8, 1. Deo adiuvante omnes deinceps hostes vicit et splendidissimum regnum suum reddidit. Domi militaeque omnes aerumnas omnia pericula exanclavit: talisne vir dicere non potuit deum esse deum salutiferum et Jahveh a morte eripere? Ain' tu? Cur nemo offendit in loco ψ 18, 5—7 ubi id ipsum David pronunciat? Senes Israelis allocutus Abner dicit a deo Davidem constitutum esse ut populum liberet ab omnibus hostibus eius II Sam. 3, 17—18; Salomonem in locum suum substituturus David Bathsebae iurat per eum deum qui ex omnibus angustiis se eripuerit I Reg. 1, 29: itaque nullo modo concedere possumus Davidem talia dicere non potuisse.

III.

Versus 24 tempus redolet recentius (»wie besonders in der spaeteren Zeit, nachdem Israel so blutig gebüsst hatte, dergleichen sehr spitz und scharf gefasst wird« Ew.) At nihil obstat quominus versus nostri verba tribuamus ei qui dixit quae dicta sunt II Sam. 3, 29. ψ 3, 8. 11, 6. 18, 38 - 44, qui fecit quae facta sunt II Sam. 8, 2. 12, 31.

IV.

Versu 25 ii qui canunt regem alloquntur; hoc prorsus esset absurdum si David esset carminis auctor. Sed unde, quaeso, scis regem terrestrem esse quem poeta alloquitur? Imo rex est caelestis et deum regem nominare nequaquam abhorret a psalmorum dicendi ratione. cf. ψ 10, 16. 24, 7. 9. 29, 10. 93, 1. 97, 1. 146, 10. — 145, 1; quid quod legimus מלכי ואלהי 5, 3 eodem modo atque loco nostro אלי מלכי!

V.

Versu 28 solae tribus Benjamin Juda Sebulon Naphtali commemorantur. »Die vier Namen stellen die Nation vor wie sie war von der Zeit an wo der Einfluss der kirchlichen Restauration anfing sich auch nach aussen hin geltend zu machen, wo Judaea und Galilaea, mit Ausschluss des mittleren Landes, die Kirchenprovinz des orthodoxen Ritus war.« Reuss. »Geschichtlich merkwürdig ist auch dass v. 28 nur vier laienstämme genannt werden, die zum Tempel ziehen, welches zu Salômo's Zeit keinen Sinn hat«. Ew. Quis, quaeso, tulerit poetam in carmine tam grandi tamque magnifico cunctas duodecim tribus

percensentem? Hoc historici est non poetae. Cur illas ipsas tribus e duodecim selegerit supra iam demonstrare conâti sumus. Argumenta e silentio deprompta fictilibus stant pedibus. Similia docent et simile vobis proponam. Si quis bellum quod nuperrime gestum est Gallico-Germanicum canturus diceret:

Vergessen war der alte Stammeszwist,
Vereint stand Nord und Süd, hier Preussen, Sachsen,
Hier Bayern, Württemberger brüderlich
In Einem Heer, das Vaterland zu schirmen.

quis tandem homo sana mente praeditus ita ratiocinaretur: Soli Borussi Saxones Bavari Württembergenses commemorantur, ergo Badenses Hassi Mecklenburgenses Oldenburgenses Anhaltini hoc tempore Germani non fuerunt et belli socios sese non praestiterunt!?

VI.

Versu 30 mentionem poeta facit templi Hierosolymitani quod Davidis temporibus fieri non potuit. At qua ratione comprobare vales היכל nihil esse posse nisi templum Hierosolymitanum a Salomone exstructum? Hitzigius psalmum 5 praefatus: »Die Erwähnung eines היכל Jahvehs«, inquit, »lässt uns nicht mit Sicherheit gegen Davidische Abfassung für eine spätere Zeit entscheiden« et Ewaldius (Dichter I, 2 p. 6): »denn dass Davîd seitdem er die bundeslade bei sich in Ssion hatte, vom heiligen berge reden konnte, dass unter dem היכל oder grossen prachtgebäude, palaste Jahveh's schon nach dem klaren zusammenhange dieser stellen nicht der Salômonische Tempel, sondern rein der himmlische pallast, der Himmel selbst zu verstehen sei (während es sonderbar zu denken wäre, die Hebraeer hätten zu Davîd's zeit sogar wort und begriff eines היכל grösseren hauses oder pallastes noch nicht gekannt), bedarf nicht

langer beweise.« Itaque quid vetat ne hoc quoque loco sanctuarium intellegamus caeleste? Maximi momenti est locus parallelus מהיכלו ψ 18, 7; ibi quoque מהיכלו deus exaudit vocem eorum qui clamant ad eum et opem suam demittit: et is ipse sensus nostro quoque loco inest si recte sumus interpretati.

VII.

Versu 31 poeta precatur ut Aegyptum deus increpet, nam Aegyptum esse beluam canneti ab omnibus viris doctis consensum est. Davidis vero temporibus, aiunt, nullae inter Hebraeos et Aegyptios inimicitiae intercedebant. Sed ipse noster versus intellegi non potest nisi ex Davidis temporibus; si posterioribus compositum esset temporibus carmen omnino mentio facta esset Assyriae aut Babyloniae: finito bello Syro-Ammonitico, prostratis omnibus ubique regibus sola Aegyptus erat quae par esset Davidi quae metuenda esset Davidi. Et Aegyptios quoque non sine suspicione quadam aspexisse regnum atque opes Davidis ingeniosissime effecit Ewaldius ex loco II Sam. 23, 21: »so ergiebt sich hieraus«, inquit (Gesch. d. volk. Isr. III, 193 ed. III) »die merkwürdige thatsache dass die damalige Aegyptische herrschaft nicht theilnahmlos den kämpfen Davîd's um die herrschaft der vielen länder zusah.« Optime hoc affirmat quod legimus I Reg. 11, 14—22. Ibi enim narratur, cum Edomitas vicisset David II Sam. 8, 14 effugisse Hadad adulescentulum e regio Edomitarum genere ortum in terram Midjanitarum et inde pervenisse in Aegyptum ibique benigne eum accepisse Pharaonem et uxoris suae sororem in matrimonium ei dedisse. Quae cum ita sint, hoc quoque argumentum nihil valere videtur.

VIII.

Versus 8—9 deprompti sunt ex cantico Deborae Jud. 5, 4—5; at alienis gloriari bonis non decet poetam talem qualis fuit David. Cave nostras iudicandi atque sentiendi rationes transferas in homines antiquissimos in poetas orientales. Quod nos dicimus »literarisches Eigenthum« prorsas ignorant Orientales. Inter Arabum historicos — ut ex recentioribus temporibus exemplum producamus — impudentissime alter alterum ad verbum transcribit neque furari sese intellegit. Carmen nostrum compositum erat quod publice recineretur neque quisquam Hebraeus in eo offendit quod carmini suo poeta insereret aliquot verba ex cantico omnibus noto deprompta. Nostris quoque temporibus ii qui carmina solemnia componunt ea verbis suis intermiscere adamant quae resonent carmina omnibus nota. — Sed ex aliis quoque fontibus poetam hortulos suos irrigasse haud pauci contendunt et tales eum ante oculos habuisse libros qui multo post Davidis tempora sint compositi. Duo tantum loci sunt quos poetae proprios non esse fateamur oportet: versus de quibus modo diximus et versus secundus, qui Mosis verba nobis praebet Num. 10, 35. Sed Deborae carmen ante Davidis tempora compositum esse quis est qui neget? Et quae attinent ad verba illa Mosis vix quemquam Hitzigio adstipulaturum esse puto qui e psalmo nostro ea efficta esse censet. Itaque hi loci nihil probant, de reliquis quos protulerunt viri docti pro suo quisque iudicio sentiat! rationes enim et argumenta nil agunt in rebus quae sub iudicii iurisdictionem sunt subiectae. Nusquam ulla nos cogit necessitas ut psalmum nostrum *ἀρχέτυπον* esse negemus.

IX.

Psalmus noster »elohisticus« est genuina Davidis carmina »jehovistica« sunt. Sed notissimum est omnes psalmos inde a 42 ad 83 esse »elohisticos« quod quomodo factum sit docebit te Ewaldius (Dichter des AB I, 1, 244—246 ed. II.)

Haec sunt quae viri docti obiiciunt: assentire non possumus. Tamen haudquaquam negamus hunc psalmum ab reliquis Davidis carminibus aliquantum differre quod qui fiat demonstrandum est. Et demonstrari potest si vitam et res gestas Davidis consideraverimus.

Omnium simillimus est ψ 18 et is ipse dissimillimus. ψ 18 carmen Davidis est privatum, ψ 68 publico dicatus est usui. ψ 18, 20—25 integritatis atque virtutis fiducia superbit David, in psalmo 68 ne minimum quidem huiuscemodi invenimus. Verba ψ 18, 20—25 David dicere non potuit nisi antequam grave adulterii atque caedis crimen commiserat: psalmus 18 post bellum Syriacum compositus esse videtur, nam verba ψ 18, 45—46 aptissime a viris doctis referuntur ad ea quae legimus II Sam. 8, 9—10. Illud vero bellum Syriacum introitus est belli Syro-Ammonitici. Ammonitae enim Syros socios conduxerant et David ut erat imperator ingeniosissimus primum Ammonitarum socios prostravit ut »isolato« bello — si uti licet voce barbara a rerum militarium peritis excusa — Rabbath Ammonem ab omnibus destitutam auxiliis eo facilius expugnaret. Ita ad id David vixerat ut pro horum temporum opinionibus dicere posset non declinasse se a praescriptis dei: at etiam David expertus est verum esse quod monet Scriptura: לפני שבר גאון ולפני כשלון גבה רוח (Prov. 16, 18), nam in illos ipsos dies grave Davidis crimen incidit. Bello enim Syriaco ipse praefuit; Rabbath Ammonem vero Joabo expug-

nandam mandavit et tunc cum Hierosolymis moraretur foedum adulterium commisit. Deus ei pepercit ut non moreretur II Sam. 12, 13, deus victoriam ei dedit et Rabbath Ammonem in potestatem eius redegit. Quid igitur mirum quod in psalmo 68 qui has res celebrat David unam dei gratiam canit atque misericordiam, non suam ipsius virtutem decantat? Adest psalmus 3 quem v. 1 recte Absalomi temporibus tribui Ewaldius censet ubi eodem modo solam dei gratiam celebrat non suam integritatem iactat: itaque hanc ob rem Davidi abiudicare psalmum 68 mihi videtur temerarium.

Hucusque re perducta munere nostro pro viribus defuncti sumus. Suavissimam ex ipsis studiis cepimus animi delectationem carmen pertractantes quod in praestantissimis Hebraearum literarum monumentis est numerandum: si aliis quoque persuaserimus quae nobis sunt persuasa operam haud perdiderimus.

THESES THEOLOGICAE.

I.

Obadja prophetarum vetustissimus.

II.

Loco Genes. VI, 3 sola textus Masorethici punctatio בְּשַׁגָּם sententiam aptam praebet.

III.

Quamquam non nego equidem Vetus Testamentum *δι᾽ ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι* cognitam habere vitam post mortem futuram, tamen locus Hi. XIX, 25 sqq. huc non pertinet sed aliter intellegendus est.

IV.

Davidis verba quae dicuntur suprema II. Sam. XXIII, 1—7 diserte Messiam pronunciant et omnium prophetiarum Messianicarum vetustissimam eandemque gravissimam praebent.

V.

Vox צדקה divinam qualitatem depingens non idem valet atque צדק, sed perinde ac שם יהוה manifestatio est Dei servatoris.

VI.

In referenda Domini ac Redemptoris nostri passione Johannes apostolus certior nobis auctor est quam synoptici.

VII.

Si Jesu Christi exceperis verba prophetia in Novo Foedere locum non habet. Itaque Evangelia tantum et Epistulae norma fidei sunt et Apocalypsis par iis facienda non est.

VIII.

Quam Reformata Ecclesia constituit Christologia Lutheranae doctrinae praeferenda est.

IX.

Errare mihi Hassius videtur qui in Historia sua Ecclesiastica Gilbertum Porretanum tritheismi reum dicit, imo tetratheismus est ad quem Gilberti ratio et disciplina deducunt.

X.

Iis assentire non possum qui e »statistica« quae dicitur aliquid utilitatis in Theologiam ethicam redundare putant.

XI.

Divini Verbi ministros intra pericoparum fines coarctare neque aequum neque utile est.

XII.

Frustra mihi adversus stimulum calcitrare videntur qui negant, doctrinam a Melanchthone oriundam reformatoriae dogmatices formam fuisse principalem.
